

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Commentarii in primvm, secvndvm, tertivm, et quintum Ethicorum Philippi Melanchthonis

**Melanchthon, Philipp
Aristoteles**

Argentinae, 1535

VD16 A 3417

Commentaria in politica Aristotelis

urn:nbn:de:bsz:31-106587

COMMENTARIA
IN POLITI
CA ARISTOTE-
LIS.



Politica ars est continens genera-
lia quaedam præcepta de ordina-
tione ciuitatis. Sicut Archite-
ctonica ars est qua forme ædifi-
ciorum describuntur. Ita Poli-
tica certam formam ciuitatis describit, disputat de
rerum diuisione, de connubijs, de Magistratibus, de
legibus, de populi officijs, de contractibus, de poenis.

Sed initio magnopere opus est discernere Politi-
cam ab Euangelio, & imperitorum opinionem con-
uellerè, qui somniant Euangelium nihil esse aliud ni-
si Politicam doctrinã, iuxta quam ciuitates cõstituẽ
de sint. Hic error non una tantum ætate mirabiliter
perturbauit Respublicas, dum phanatici homines
abrogatis alijs legibus conantur iuxta Euangelium
ciuitates constituere. Sed uidimus exempla plura
quã uellemus nostris temporibus, quare primum
hic monẽdus est lector, quid intersit inter Politicam
doctrinam & Euangelicam, et quomodo approbet
Euangelium Politicam doctrinam. Nos ad hanc rem
declarandam hac utemur similitudine. Sicut medi-
cina longe

IN POLIT. ARIST.

cina longe lateq; ab Euangelio distat. Sic politica longe lateq; distat ab Euangelio, & quemadmodum Medicina continet doctrinam quæ ratione constat. Ita Politica ratione constat, nec magis ad Euangeliũ pertinet quàm Medicina. Sed ut optabile est ut Medicus pius sit, ita optandum est ut sit pius is qui Rem publicam gubernat. Artes ipsæ tamen nullam habent cognationem cum Euangelio. Nam Euangelium patet facit iustitiam æternam, quam corda concipiunt per fidem, interim iubet foris uti legibus & politijs omnium gentium apud quas uiuimus.

Politica uero est doctrina de externa actione in uita, de rerum possessione, de successione, de contractibus & similibus rebus, hæc non sunt similia apud omnes gentes. Aliæ leges sunt apud Persas, aliæ Athenis, aliæ Romæ. Sicut autem Christianus aliàs alio uestitu utitur, seu ut alibi alijs dierum spacijs utitur, ita licet ei uti cuiuscunq; loci Politia, Esras apud Persas iudicat res ex Persicis legibus. Hierosolymis iudicat ex Iudaicis legibus. Centurio in Iudæa Iudaicis legibus utitur. Romæ Romanis, nec magis ista ad Euangelium pertinent quàm uestitus, quam ipsa dierum spacia. Et hoc discrimen Euangelij & Politices nosse ualde conducit ad retinendã tranquillitatem, & augendam reuerentiã erga Magistratus. Vere enim seditiosi iudicandi sunt isti, qui cū doceant

RIA

ITI

TE

contines geni
cepta de orim

Sicut Arctite
qua forme edi
untur. Ita Pol
bit, dispositi
egistratus, de
ibus, de presis
scernere Politi
opinionem con
bil esse aliud ni
itates cõstitue
te mirabiliter
itici homines

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

Euangelium
xempla plura
quare primus
nter Politicam
modo approbet
os ad hanc rem
e. Sicut medic
cina longe

C O M M E N T A R I A

Euangelium, irrumpunt in alienam functionem, ferunt leges de diuisione hereditatum, de tributis, de contractibus, de pœnis malefactorum. Sicut multis locis concionatores uetant suspendi fures, ferunt leges de decimis, damnant publice receptos contractus &c. Vuicleff ualde tumultuatur & contendit decimas non esse soluendas ociosis sacerdotibus. Capito contendit ut principes remittant aliquid de annuo tributo. Cinglius uocat uectigalia *Harpyas*. Alij nationes publicas. Anabapustæ damnant iudicia &c. Hi errores præterquam quod impij sunt, etiã labefaciunt tranquillitatem publicam. Quare prodest aduersus hanc impietatem bene munitum esse, & recta tenere discrimen Euangelij & Politices, ac scire quod Euangelium ad cordis iusticiam pertinet, non pertineat ad ciuilem statum. Imò approbet omnes formas Rerumpublicarum modo sint consentaneæ rationi, sicut approbat architectonicam, aut medicinam rationi consentaneam.

Pauci in Ecclesia fuerunt scriptores, qui satis perspexerunt hoc discrimen. Itaq; Pontifices inuasit imperia, arrogauerunt sibi ius transferendi regna. Nos igitur diligenter obseruemus, maximum intervalum inter Euangelium & Politicam esse. Et potius omnes approbari ab Euangelio, si cum ratione consentiant. Ac uidete quæ sit stulticia. Si quis Theologus

IN POLIT. ARIST.

logus uelit medicinam exercere, nonne hunc omnes
 irriderent, quia artem quam non didicisset profiteretur.
 Ita iure irridentur concionatores, qui uolunt ciuitates
 gubernare, quam nunquam in Reipub. uersati
 sint. Veteres leges abolent, cum non intelligant cau-
 sas cur late sint, & una lege abrogata infinitas sub-
 stituunt. Verum est enim illud Platonis, ueteres le-
 ges mutare, perinde esse ac hydræ capita præcide-
 re. Et quemadmodum in edificio ruunt omnia uno
 aliquo tigno exempto, sic unius legis mutatio ruinam
 trahit omnium. Quæ ex re necesse est infinitos mo-
 tus existere: quare omnes magni uiri & periti Reipub.
 publice regende clamitant, omnem legum mutationem
 prohibendam esse, quantumuis habeant incommodi
 quia semper mutatio Reipublicæ plus affert mali.
 Plurima extant in hanc sententiam præcepta sum-
 morum uirorum quæ aliàs recitabimus. Nunc testi-
 monio Ducis Saxonie Friderici contenti erimus, qui
 si quis alius, uir fuit Reipub. in toga gerende scien-
 tissimus, nec tantum administratione domestica uer-
 satus, sed iactatus in maximis & periculosissimis ne-
 gotijs totius imperij Germanici. Huius auctoritas
 plurimum apud nos ualere debet, tum propter sin-
 gularcm ingenij diuinitatem, qua præditus fuit tum
 propter longum usum rerum. Itaque quoties ad hunc
 deferrebat exemplum, quod mutationem aliquam

C O M M E N T A R I A

allaturum uidetur, pertinacissime aduersabatur, subiciens rationem his uerbis. Es macht beuegung. hac uoce significabat summa cura providendum esse, his qui tenent Respublicas, ne sererentur ullæ occasiones aut causæ motuum. Semel excitati tumultus, postea multis seculis non conflescunt.

Ut igitur Socrates initio suæ Politicæ dimisit, è sua ciuitate Poëtas, ita nos Theologos non quidem ciuitate eiiciemus, sed tamen à gubernaculis Reipublicæ remouebimus, ne nouas leges ferant, & rogabimus eos ut suum faciant officium, & Euangelium pure tradant. De fide quæ est æterna iustitia. De poenitentia, de charitate. Hec priuata doctrina est piorum, sicut priuata ars est medicina. Interea sinant reges ac principes ad coercentes impios ferre leges, & munire pacem iudicijs & poenis. Ita Christus præcepit, Reges gentium dominantur uos non sic. Vetat enim priuatos homines prætextu Euangelij publicas leges mutare & imperia inuadere. Habent exemplum Christi, habent Apostolorum, qui non abolerunt Romanas leges, non attigerunt Politicæ, tantum Dei notitiam priuatim sparserunt in pios. Sed facio finem cum hac de re sæpe aliàs dictum sit.

Q U O D E V A N G E L I V M A P P R O

E bet Politicas ordinationes.
 Vangelium tradit iusticiam spiritualem & æter

n. d. m.

IN POLIT. ARIST.

nam que paucorum est, inter ea opus est mundo ad cohercendos impios tanquam carcere alia quadam doctrina, uidelicet, Politica. Vt autem approbat Euangelium alias artes uitæ necessarias, ut agriculturam, Architectonicam. Ita etiam approbat leges & politicas ordinationes rationi consentientes. Hunc locum Theologus illustrare debet, ut dignitatē Magistratum ac legum intelligat, & qui presunt, & qui parent. Id primum Magistratum conscientie prode-rit, qui scient se gerere munus à Deo commissum, petent & expectant ab eodem auxilium. Deinde subditi timore religione parebunt tanquam Dei uicarijs quia sentient Magistratus & politicam ordinationem perinde ad uitæ utilitatem à Deo conditam esse, ut hæc rerum uniuersitas, ut hoc pulcherrimum lumē solis, ut uices temporū à Deo conditæ sunt, ut terræ fecunditas est donata ad alenda animantia. Imò præsentiam Dei propius cernimus in conseruatione rerum publicarū, quàm in illa ipsa natura rerum. Nā in tanta seuitia diaboli, in tanta hominum malicia, non possunt consistere Respublicæ, nisi à Deo conseruarentur. Nunc defendit Deus politias, & un-
 dicta quam magistratus exercet, uere est opus Dei. Ideo in psalmo inquit Deus. Ego dixi Dicitis. Vbi Deus palam testatur à se constitutos esse Magistratus ait enim, Ego dixi, id est, ego ordinavi Magistratus.

ARIA

Sime aduocatus
 Es machi bouage
 tr a proud condum
 ne serere dicit
 Semel exci an
 osit ficut
 Politia dimi
 nos non quid
 riaculis Repub
 at, & rog dom
 Euangelium p
 quia Deo p
 Arua est p
 ierea Iuan reges
 dos terre leges, &
 ita Christus p
 nos non sic
 a Euangeli
 adere. Hæc
 orum, qui non
 tingerunt
 paterant
 de alia d
 M APPRO
 ones.
 ritalem &
 nat

C O M M E N T A R I A

Quod Deos uocat, testatur eos officium gerere diuinum, & Dei uicarios esse. Est igitur bona res politica ordinatio, sicut & Paulus docet Rom. 13.

Hec sunt inculcanda animis hominum, ut magni faciant presentes leges & magistratus, eisq; religiose pareant. Quales autem esse leges debeant, non magis ad Euangelium pertinet, quam qualia phar-
maca danda sint laborantibus febr-

Adhuc male consulunt suae tranquillitati Theologi, dum affectant imperia. Nulla enim res in uita habet aut plura, aut maiora pericula, quam administratio Reipublicae: quare & Demosthenes inquit, se si posset retexere suam uitam, malle certam mortem obire, quam ad Rempublicam accedere, etiamsi certò sciret summos se honores consequuturū esse. In tot periculis Deus adest rite uocatis, non adest his, qui per ambitionem capeffunt Rempublicam non uocati. &c.

IN PRIMVM LIBRVM Politicoꝝ.

Sicut Ethica de priuatis moribus disputant, & ex natura causas uirtutum colligunt, ita Politica disputant de societate ciuili, & officijs ad societate pertinentibus, & causas societatis ex natura ducit.

Primum igitur locus est in hoc libro de causis societatis. Est itaq; initium societatis coniunctio ma-
ris &

IN POLIT. ARIST.

ris et foemine. Inde tanquam Coloniam ex familia
hij, ciuitatem deducit.

Deinde colligit rationes, quod homo natura ad
societatem ducatur, nō tantum utilitatis gratia. Hic
locus penē ijsdem uerbis extat apud Cicronem in
Offic. Ratio sumitur à signo, quia homini sermo da-
tus est, cuius usus non est nisi in societate. Natura
autem nihil facit frustra ουτε γρ ὡς φάρμακον με-
την ἢ φύσις ποιεῖ. Addit Encomiū societatis ciui-
lis ὃ δὲ πρῶτος συστάσας μεγίστων ἀγαθῶν
αἰνέσας, ὅπου γρ ἡ τελειωθὲν βέλτιστον τῆν
ζώων ἀνθρώπος ὄσσι, οὕτω ἡ χάρις οὐκ ἐν νόμῳ
καὶ δικῆς χεῖρισον πάντων, γαλεπώτατη δὲ
ἀδίκια, ἔχαστα ὄπλα, ὃ δὲ αἰὸς ὄπλα χῶν
φιλετ, φρονήσις ἡ ἀρετῆ, ὃς ἐπὶ ταναυτία
ὄσσι χηρόν, μάλιστα, διὸ ἀνοσιότατη ἡ ἀρε-
ώτατον ἀνθὺ ἀρετῆς, καὶ πρὸς ἀφροδίσια
καὶ ἐδωδὴν χεῖρισον, ἢ δὲ δίκαιοσιν ἡ πο-
λιτικῶν ἢ γούρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τὰ
ξίς ὄσσι.

Sæpe admonui in Aristotele diligēter obseruan-
dum esse methodum. Nullus enim melior est artifex
methodi quàm Aristoteles. Itaq; uel ob hanc solam
causam legi debebat, ut ab eo sumeremus exempla
methodi, hoc est, iusto ordine docendi aliquid. Vi au-
tem aliæ artes incipiunt à quibusdam communissimā

C O M M E N T A R I A

mis principijs natura notis, qualia sunt apud Geometras. Totum est sua parte maius. Que alicuiusmodi sunt equalia, inter se sunt equalia. Ad hunc modum & hæc ars sua habet principia, à natura seu sine hominis sumpta.

Homo est ad societatem natura conditus.

Prima societas est legitima coniunctio maris & foeminae.

Nunc attextit alia principia.

Ex prima societate, domus oritur, in qua sunt parentes, liberi, serui.

In societate multorum necesse est alios præesse, alios parère.

Et colligit causas seruitutis & imperij ex natura. Natura enim imprudentiora, & imbecilliora parent prudentioribus & fortioribus, quia habet opus alieno ductu, consilio, defensione. Eius rei signum affert ex hominis partibus. In homine aliæ partes naturaliter seruiunt, aliæ naturaliter præsumunt ac dominantur, similiter igitur in multitudine, prudentiores natura præesse debent, & imprudentiores obedire.

Quem non delectet hoc loco acumen, cum tam apta ex hominis partibus fontes, & causas imperij & seruitutis inter homines colligit, cum nihil prius habet, postquam societatis causas ostendit, quam ut de impe

IN POLIT. ARIST.

de imperio dicat, ut significet societatem nullam existi-
stere posse, nisi imperio contineatur. Vt igitur im-
pressa sunt in naturam causse, quæ nos ad societatem
colendam ducunt, ita sciamus etiam impressas
esse causas naturæ hominis, quæ nos ducant ad impe-
ria constituenda, & ad parendum Magistratibus.

Atque hoc est Philosophi officium, tales leges, seu Philoso-
communes sententias in natura scriptas animaduer phi offi-
tere, & explicare. Rhetores uocant theses, hu- cium.
iusmodi communes sententias, quia his positis, alia
multa consequantur. Nascuntur itaq; ex his thesi-
bus postea iura ciuilia, quæ sunt tanquam hypothe-
ses harum communium sententiarum. Societas ci-
uilis est colenda: societas ciuilis non potest sine im-
perio retineri. Hinc sunt leges latæ de ui publica, de
his qui ledunt auctoritatem Magistratuum. &c.

Interim memincent Scholastici id quod & in
Ethicis dixi, ius naturæ uere esse ius diuinum. Omnes
igitur sententiæ de ciuili societate, quæ bona & fir-
ma consequentia colliguntur ex natura, pro diuinis
legibus erunt habendæ atq; colendæ. Nec leuis est
auctoritas talium sententiarum ducenda. Vt enim
oculis diuinitus mirabile quoddam lumen donatum
est ad uidentum, ita ratio diuinitus habet lumen quod-
dam ad iudicandas res ad corporalem uitam necessa-
rias. Neq; uero propterea omnium Philosophorum

COMMENTARIA

somnia pro oraculis habenda sunt, sed delectus adhibendus est, quæ sententiæ certa de causa affirmantur, quæ sine demonstratione dicantur. Tota res enim ad Dialecticam & demonstrationes reuocanda est. Illæ tantum inter leges naturæ numerari debebunt, quæ in demonstratione coherent. Multa ridicule disputant Stoici & alij, quæ cum non habeant satis firmas causas iure repudiantur, sicut in Medicina aut architectonica multa reijciuntur, in quibus quâuis in speciem quædam similia ueri insint, tamē quæ agitata & excussa sunt, uitia deprehenduntur.

Sed redeo ad Aristotelem, ut hunc locum, quo in hoc primo libro nō alius est utilior, explicem: quam imperij & seruitutis similitudinem in hominis partibus ostendit, simul deprehendit duas imperij seu dominiij species. Ac facile est uidere ex his tanquam ex fontibus, omnes illas species imperij ac seruitutis quas enumerant Iurisperiti, ortas esse,

Herile dominiij.

Prior species uocatur *Δεσποτικόν* imperium, quasi dicas herile dominiij, quo modo anima imperat corpori. Corpus enim cogitur obtemperare animæ agitati ac mouenti, nec habet sine anima peculiare motus, sicut seruus cogitur obtemperare domino, ac prorsus in aliena potestate est, aut sicut pecudes uinctæ coguntur sequi ducentem. Vnde Græci argute fingunt *Δεσποτὸν ἢ δεικτὸν* esse quasi *Δεσποτικόν*

Tijp

IN POLIT. ARIST.

τῆς, hoc est, iniicientem uincula. Ex hac specie ori-
tur acerbissima forma imperij, in qua dominus sine
certa lege tenet potestatem uitae & necis. qualis fuit
Regum apud Barbaros olim autoritas, & nunc se-
runt tale esse formam imperij apud Turcas, ubi Prin-
ceps pro arbitrio facit omnia, & subditi tanquam pecu-
des coguntur parere, quicquid imperat Tyrannus.

Altera imperij species dicitur βασιλικὴ seu
πολιτικὴ imperium, hoc est, regia seu ciuilis do-
minatio, quomodo mens imperat appetitioni certa
lege, & propter illius utilitatem. Neque temere cogit
appetitum ut obtemperet. Ex hac oriuntur legitima
imperia in rebus publicis, de quibus infra libro ter-
tio dicitur. Et in hac specie magis lucet, quid sit im-
perium, uidelicet prospicere alienae utilitati, guber-
nare & defendere alios, quia mens uidet quid pro-
sit, quid noceat, & erigit ac cohercet appetitum, et
studet defendere salutem uniuersi corporis. Ab hoc
exemplo sumit sententiam, quae uulgo saepe citatur.
τὸ δὲ θεῶν ἔστι τῆς διαβολῆς προσῆμα ἄρχου, φύ-
σις, καὶ θεῶν ἀποδόντων φύσιν. Quod praestat consilio
naturaliter imperat reliquis.

Postquam has imperij & seruitutis species pro-
posuit, docet eas in familia existere. Nam ad fami-
liae imaginem, postea ciuitatem constituet, ideo pri-
mum multa de Oeconomia disputat. Paterfamilias

COMMENTARIA

dominatur seruis δεσπολεύς, Liberis regia dominatione, In uxorem mitius esse imperium conuenit, quod πολυτικόν uocat affine regio.

Seruitus
quid sig.

Hic disputari solet quare Aristoteles dicat quosdam nasci seruos, cum Iuriconsulti doceant seruitutem naturæ contrariam esse, & iure naturali omnes homines ab initio liberos esse natos. Hoc sic explicandum est. Aristoteles de causa eius seruitutis loquitur, quam sic uocant Iuriconsulti. Iuriconsulti autem de affectu loquuntur, seu de certa forma seruitutis. Seruitus apud Aristotelem significat imbecillitatem ingenij, cui opus sit regi alieno consilio, Apud Iuriconsultos significat certam formam, qua uictor continet uictos. Et quidem litigat Aristoteles cum his qui sentiunt hanc seruitutem naturæ contrariam esse. Ostendit enim quod habeat causas in natura positas, scilicet imbecillitatem ingenij, quæ cum nascatur cum hominibus, necesse est eos regi alieno consilio. Si qui regi se non patiuntur, hi ui opprimendi & continendi sunt, ut reliqua multitudo generis humani conseruari possit, sicut à corpore interdum præcidi membra corrupta oportet, ne totum corpus pereat. Hic igitur præstantiora opprimunt, ac ui continent imbecilliora, quia natura docet nos, propositis hominis partibus, quod præstantiora debeant præesse ac dominari. Quanquã quor
sum

IN POLIT. ARIST.

sum opus est hac subtili disputatione? illa uox. Honora patrem et matrem, subijcit omnes homines seruituti. Cum autem & illa sententia sit in natura scripta, sentiendum est uere causas seruitutis in natura positas esse. i. recte igitur reprehendit Aristoteles illos, qui immoderata & iniusta cupiditate libertatis accusant, & ut ipsius uerbis utar, γράφονται παρὰ φύσιν formam seruitutis iure gentium receptam. Sed nos multo iustius accusare possemus phanaticos homines nostri temporis, qui praetextu Euangelij uulgi ad pileum, hoc est, ad libertatem uocarunt, & contenderunt seruitutem contra Euangelium esse. Verum quia hac de re aliàs saepe diximus, in praesentia satis est monere lectorem, quod sicut Euangelium non abolet hoc praecipuum: Honora patrem & matrem, ita nec imperia, nec seruitutem improbat, sed suo testimonio confirmat ac docet, oportere ad coercendos impios & carnales in mundo existere regna, & seruitutem. Et ijs rebus utuntur sancti, sicut alijs bonis Dei creaturis.

III.

Nondum absoluit Oeconomiam, sed postquam familiam numerauit, disputandum etiam est de ea conseruanda atq; alenda. Docet igitur duplicem esse rationem rei familiaris comparandae. In his altera naturalis est, altera arte excogitata.

COMMENTARIA

Naturalis ratio comparande rei familiaris, has
habet species.

Pecuariam,

Agriculturam,

Venationem, cū qua prædatoriam cōiungit, quæ
et ipsa est honesta, et nature consentiens, si exer-
ceatur in bellis legitimis, debet enim Magistratus
bella gerere ad depellenda latrocinia.

Quarta species mercatura est, qua res domi na-
te uenduntur, ut his distractis quibus abundamus,
alia importemus, quæ alioqui desunt nobis. Hanc uo-
cat Oeconomicam mercaturam, eamq; laudat: est
enim necessaria ad uitam, eaq; oportebat etiam uti
homines ante usum nummi, quū per mutatione rerū
suarum aut operarum ea quæretet unusquisq; qui
bus indigebat. Est autem hæc mercatura, qua res
domi nate uenduntur hodie quoq; illustribus perso-
nis, ut uocant, permissa, quibus alioqui negociari
turpe est.

Arte excogitata ratio rei familiaris cōparande,
habet artes, et operas, quæ tamen liberaliter com-
municari debent. Operarum locatio seruilis est. Ta-
lis est mercatura, quam uocant κοπιλική, quum
emimus, ut rursum carius uendamus, seu cuius finis
est, non usus, sed quæstus. Hanc uituperat Aristote-
les, quia quum emptionis finis debeat esse usus, natu-
ra enim

ra enim

IN P O

nam docti
fer, hic callid
debet quæstus
uoletur prop
pmodum de
emptiari erā
catura; qu
bil est opus

Numer
tatas, ad re
stoteles uin
quia numm
sed ut su m
nummus g
τικτο. Ε
accidit, seu
per mutat
enim ad fer
hac distat
Ειδε γ
δ' αὐτ
καὶ δου
ἐπέτετο χ
ὡς καὶ

IN POLIT. ARIST.

ra enim docet nos usus & necessitatis causa contra-
 here, hic callide uidetur alius finis excogitatus, ui-
 delicet questus. Hæc calliditas odiosa est, quia non
 uidetur proprie ad necessitatem comparata, & pro-
 pmodum defraudat alios, qui tantum usus causa
 empturi erant. Si quæ sunt alia uitia in hac specie mer-
 caturæ; quæ magis hominum quàm rei sunt, ea ni-
 hil est opus hic recitare.

DE USURA.

Numeratur & usura inter species arte excogi-
 tatas, ad rem familiarem comparandam. Porro Ari-
 stoteles uituperat eam, & dicit contra naturam esse,
 quia nummus sit inuentus, non ut gignat mutuum,
 sed ut sit medium in emptione mercis. At in usura
 nummus gignit nummum, unde & Græci τόκος à
 τίκτω. Est enim usura lucrum quod ad nummum
 accedit, seu ubi præter sortem soluitur aliquid pro-
 pter mutationem. Verba Aristotelis hæc sunt, libet
 enim adscribere, quia sæpe citantur à doctis uiris in
 hac disputatione de usura.

Εὐλογότατα μισῆται ἢ ὀβολοσάτικα διὰ
 δ' ἀπ' αὐτοῦ τὸ νομίσματον εἶναι τῆν κτήσιον,
 καὶ οὐκ ἐφ' ὅπου ἐπορίσθη. μεταβολῆς γὰρ
 ἐγένετο χάρις, ὃ δὲ τόκος αὐτὸ ποιεῖ πλεον,
 ὅθεν καὶ τὸ νομα τὸτ' εἰληφερ. ὁμοια γὰρ

COMMENTARIA

τὰ τικτόμωρα τοῖς ἡνῶσιμ' αὐτὰ ὄσιμ, ὃ δὲ
 τὸκ' ἔγινετ' νόμισμα νομισματ', ὡς
 καὶ μάλισα πρὸ φῦσιμ' οὐτ' ἴψ' ἡμα
 τισμῶρ ὄσι.

Id est, iure habetur odio usura, quia per eam quæ-
 ritur nummus nummo, quum nō ad hoc institutus sit.
 Est enim propter commutationem. Usura autē se-
 ipsam auget, unde et nomen sc̄noris accepit, quia
 genita sunt similia gignentibus, et in sc̄nore gignit
 nummus nummum: itaq; hæc ratio comparandæ pe-
 cunie maxime est præter naturam.

Ex hac ratione Aristotelis colligunt alias erudi-
 ti homines, quibus ostendunt usuram contra naturā
 esse. In rebus in quibus usus est consumptio, non po-
 test usus à re separari, et pro usu seorsum aliquid
 exigi. At in usura uenditur usus, separatus à re. Est
 igitur contra naturam.

Item, Res quæ natura non fructificat, non debet
 transferri pro re fructificante. At in usura transfer-
 tur pecunia, quæ natura non fructificat. Et tamen
 exigitur aliquid tanquā ex re fructificatē. Igitur usu-
 sura est contra naturam. Nam qui agrum elocat, u-
 re aliquid percipit quum ager natura ferat fruges.

Hic disputant recentiores, utrum liceat Christianis
 non exercere sc̄enus. Nos breuiter respondemus,
 Christiano licere uti contractibus, quos leges pro-

IN

ban, et iudic
 Christiano u
 quā aut leges
 ras, tamen n
 Non enim
 Non enim
 bus publici
 rum sanar
 irritare m
 longa con
 modo non
 igitur exer
 alijs contra
 tus. Multi
 contractib
 Nos mem
 stibus non
 tes Euangel
 da est: is deb
 bandi, sicut
 ca danda s
 est permitt
 iudicium de
 ditionum publi
 tas labefacta
 nus in rebus p

IN POLIT. ARIST.

bant, & iudicant honestos esse, quemadmodū licet Christiano
 Christiano uti alijs politis ordinationibus. Quā licet uti cō
 quā aut leges ueteres imperatorū permiserunt usu tractibus.
 ras, tamen non probant, nec iudicant honestas esse.
 Non enim omnia probant leges quæ permittunt.
 Non enim possunt leges omnia uitia tollere ex re-
 bus publicis, sicut nec medici omnes morbos corpo-
 rum sanare possunt, quosdam etiam morbos uetant
 irritare medicamentis. Itales quædam uitia, quæ
 longa consuetudine confirmata, sine magno incom-
 modo non possunt tolli, dissimulant & ferunt. Non
 igitur exercebit Christianus usuras. Utetur autem
 alijs contractibus legitimis, quos probat Magistra-
 tus. Multi hoc tempore miras Tragoedias agunt de
 contractibus, qui nostris temporibus in usu sunt.
 Nos meminisse conuenit, quod iudicium de contra-
 ctibus non pertinet ad priuatos homines, aut docen-
 tes Euangelium. Tota res ad Magistratum reijcien-
 da est. Is debet pronunciare qui contractus sint pro-
 bandi, sicut Medici est pronunciare quæ pharma-
 ca danda sint in febrī, quæ in pleuritide. Itaq; non
 est permittendum concionatoribus, ut sibi sumant
 iudicium de contractibus, præsertim contra iu-
 dicium publicarum legum, quarum quum autori-
 tas labefactatur, necesse est maximos exoriri mo-
 tus in rebus publicis. Illud magis pertinet ad eum,

COM M E N T A R I A

Officium qui docet Euangelium, ut admo-
 neatur, & leges publi-
 cas religiose colendas esse, & quod uti-
 liceat contra
 sta.

Etibus omnibus, quos probant leges. Neque uerò le-
 ges inhumaniter accipi debent, sed ἐπιεικῶς, ut tē-
 poribus nonnihil concedatur. Satis est in negocijs
 ciuilibus probabili ratione uti. Non ubiq; demon-
 strationes, aut exactissimæ rationes querendæ sunt.
 Habent iusta medium quoddam, sed id accipiendum
 est ἐν ᾧ λᾶτ φ, uixta aliquam probabilem rationē.
 Nec conscientie ad unam aliquam in talibus nego-
 cijs formam alligandæ sunt, satis est eas obsequi pu-
 blicis legibus ac Magistratibus. Horum iudi-
 cium sequi tutū est in rebus ciuilibus,

modo ut non procul à natura

discedant, sed habeant

aliquā suæ senten-

tie probabi-

lem cau-

sam.

*

F I N I S.

IN P
 SE C



am uxore
 bris de Re
 teles aliqu
 sententiam
 & nullo n
 tio duci a
 legitimam
 rum, ordin
 consilio ma
 nox, dies, c
 tus non poss
 nes, qui pua
 presentibus
 runt alias fir
 cogitant eas
 ferri posse.